

suis Clero, et Populo, ac quasi Episcopali Jurisdictione in Spiritualibus, et temporalibus regenda, et administranda committantur.

ADDITIONES AUCTORIS.

(28. Cardinalis Episcopus Residentiæ lege tenetur. Bened. XIV. tom. 2. Constit. 36. incip. *Cum a nobis*. (29. Cardinales Episcopi sub legibus de Residentia Episcoporum expresse comprehenduntur. Idem Constit. 18. incip. *Ad universam*

(30. Cardinales in suis Titulis possunt conferre Tonsuram, et minores Ordines personis addictis ejusdem Ecclesiæ servitio. Idem *Const. 11. tom. 4. incip. Ad audientiam*, § 16.

(31. Cardinales Episcopi Suburbicarii Suffraganeum non habentes, suos subditos promovendos ad Vicarium Urbis ablegare debent. Idem *ibidem* § 11. et 12. Si vero Suffraganeum habeant, Alexander VII. *Constitut. incip. Apostolica sollicitudo*, decrevit canonicis quibusdam indictis penis in eos, qui contrafecissent, neminem ex iis Diocæsis posse per hujusmodi Suffraganeos ad majorem quemcumque Ordinem promoveri, nisi peractis antea in Urbe in religiosa domo ad id designata Exercitiis spiritualibus per decem dies ad unumquemque ex iisdem Majoribus Ordinibus. Idem *ibid.* § 11. 12. et 13. Possunt tamen per se, vel per alium Episcopum ordinare suos subditos, dum ipsi in Diocesi commorantur. Idem *ibidem* §. 12. Vide ad id jam tradita in verb. *Ordo numero 77*.

(32. Cardinales Episcopi Suburbicarii possunt Tonsuram conferre suis subditis in Capella Palatii Urbis, irrequisito Urbis Vicario. Idem *ibid.* §. 21. Nequeunt tamen in Sacello Palatii Urbani Tonsuram insimul, et Minores Ordines conferre suis subditis, irrequisito Urbis Vicario. Idem *ibidem* § 1. 7. et 14, et sequent.

(33. Cardinales Episcopi Suburbicarii, dum Romæ commorantur, manent extra Diocæsis suæ fines. Idem *ibid.* § 8. Excusantur autem a materiali residentia, vel quia Pontifex id sciens, et patiens, ipsosque præterea videns, non obstantibus muneribus, quibus pro Apostolicæ Sedis utilitate occupantur, Suburbicariæ Diocæsis regimen recte gerere posse, tacite cum eis dispensat; vel quia ad easdem rerum circumstantias, declarat, præceptum Divinum de residentia non comprehendere casum illorum, qui certis muneribus in Urbe addicti, si non materialem residentiam in Diocesi præsentis adimplent, formali certe satisfaciunt, non solum adhibita in id Ministrorum opera, sed propria etiam adjecta præsentia, dum ad ipsam Diocæsim visitandam percommode se conferunt; *ibid.* § 15

(34. Cardinalium Episcoporum Suburbicariorum Capella sita in Palatio Urbis, non debet censeri *fictione juris*, ut aliqui prætendunt, adhærens Episcopatu Suburbicario. Idem *ibid.* § 15

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(35. De Jurisdictione Cardinalium in Ec-

clesiis suorum Titulorum secundum præsentem Ecclesiæ disciplinam consulenda est Constitutio san. mem. Innocentii XII incipiens, *Romanus Pontifex* in Bullario ejus parvo 108. (36. Ubi declaratum fuit, Cardinalibus Titularibus competere dumtaxat *Facultatem, seu Jurisdictionem in iis, quæ servitium Ecclesiæ seu Loci Pii, circa tamen disciplinam ecclesiasticam, et morum correctionem dumtaxat, concernunt*.

(37. Hinc patet, jurisdictionem Cardinalium in Ecclesiis suorum Titulorum longe minorem ea esse, quæ ipsis tribuitur ab Auctore, tum ab Albitio in sua dissertatione *De Jurisd. Card. in Eccl. suorum Titulorum*.

(38. De ea disserens Pitton. *de Controv. Patron. alleg. 41. n. 31. et plur. sequent. secundum mox allegatam Constitutionem*: « Quæ quidem Constitutio (ait) silere facit hanc quæstionem super Jurisdictione Episcopali per Cardinales Titulares prætensa, eo ipso quod eorum facultatem restringit ad ea, quæ respiciunt servitium Ecclesiæ cum illa laxativa, » dumtaxat: « quæ omnem aliam Jurisdictionis speciem excludit, etc. (39. Per quæ verba Constitutionis Innocentianæ non solum excluditur Jurisdictio in Populum, et Parochianos, sed etiam tribuitur sola Jurisdictio domestica in respicientibus servitium Ecclesiæ, circa disciplinam, et correctionem morum, quæ competit omnibus Capitulis Ecclesiarum, seu earum Vicariis, Præpositis, Prioribus, seu Archipresbyteris in forma extrajudiciali pro recto Ecclesiæ gubernio, nempe faciendo ordinationes, et statuta in concernentibus disciplinam Ecclesiasticam, et contravenientes absque strepitu et figura judicii multando per subtractionem distributionum et fructuum, vocis in capitulo, aliasque similes multas domesticas et extrajudiciales, etc. Neque extenditur hæc facultas ad excessus graves, et ad Tribunal contentiosum, ubi delicta castigantur ad vindictam publicam, etc. »

(40. Scripsit autem Pittonius de Jurisdictione Cardinalium in Ecclesiis suorum Titulorum in examine illius quæstionis, utrum erectio Beneficiorum in Ecclesiis Titulorum, reservatio juris patronatus, et institutio pertineant ad Cardinales Titulares, an ad Cardinalem Urbis Vicarium. (41. Cæterum haud assentior Pittonio, dum n. 8 et plur. sequent. asserit, hosce actus non competere nisi iis, qui vel Episcopali, vel quasi Episcopali, Jurisdictione pollent, quum possint ii etiam Prælato inferiori consuetudine, vel Privilegio competere. Vide Rot. *coram Falcon. dec. 19. n. 7. et dec. 2. n. 4. de Offic. Ordin. et Territ. separat. coram Molin. dec. 549. n. 24. in Burg. Jurisdictionis S. Joannis super Territorio separato 20. Januarii 1737. § 12. coram Reverendissimo. P. D. Bussio nunc Decano: et 10. Maii 1738. § 15. coram clar. mem. Calcegnin.*

(42. Ut autem ad propositum redeamus, de Jurisdictione Cardinalium in Ecclesiis suorum Titulorum confer eruditum virum Reverendiss. Tria in *Synopsi S. R. E. Cardinalium præcipuorum Privilegior. n. 17. ad n. 34.*

impressa post *Plat. de Card. Dignit. et Officio, editionis Romanæ anni 1746.* ubi etiam de Jurisdictione Cardinalium in Ecclesiis Regularibus suorum Titulorum verba facit (1).

ADDITIONES CASINENSES.

(43. Præter Cardinales Episcopos sunt tres Cardinales Patriarchalium Basilicarum Archipresbyteri, eorumque *ministerium*, ut Deere. verbis utamur, « in eo constituitur, ut diligenti cura provideant ministerium Cardinalium, qui solemne officium agere habent in communicatione Corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi; a sacrosancto die Dominico incipiendo per omnes Horas Canonicas indeclinabiliter perseverent; ut opus Dei digne, ac sanete perficiatur ab eo cui committitur etc. » Et paulo post: « Provideat idem Archipresbyter, vitam Sacerdotum Cardinalium præceptis sui obtemperando Episcopi, ne aliquando cedant, aut scurrilitate torpeant etc. » Ac demum: « Si Episcopus defuerit, exceptis iis, quæ prohibita sunt, Archipresbyter provideat cuncta quæ Sacerdotum ministerio perfici debeant; Fontes benedicere, Infirum Oleo perungere, Pœnitentem infirmum (consulto Episcopo) reconciliare, Pœnitentiam cunctis aliis Sacerdotibus injungere, in præcipuis Festivitatibus aut ipse celebrationem Missæ solemniter impleat, aut ad sui jussionem, cui committitur, peragat veneranter. » *Textus in cap. 2. de Offic. Archipresbyt. lib. 1. titul. 24.*

(44. Quamvis vero præcipue Sanctissimus Pontifex id dicat de Archipresbytero Lateranensis Basilicæ omnium Ecclesiarum capitis et Magistræ, haud asserimus quovis tempore Archipresbyterum Cardinalis dignitatem obtinuisse, quod ex illius Basilicæ historia clare eruitur. Paschalem II. adjuncta animarum cura Canonicis Regularibus S. Augustini, Lateranensibus inde dictis, B. Salvatoris Basilicam commississe ex amplissima ipsius Pontificis Bulla compertum habemus. Sed Panvinus putat jam ab anno 400. id præstitisse S. Gelasium vocatis iisdem Regularibus Canonicis ut ad Divinam Psalmodiâ intenderent, et Sacramenta populo ministrarent. Everso aut paulo post a Longobardis Casinensi cœnobio, ejectisque Monachis, Joannes III. ipsis prope Lateranensem Basilicam Monasterium ædificavit sub invocatione S. Joannis Baptistæ et Evangelistæ, ac S. Pancratii, atque Canonicis animarum curam tantum reliquit. Alexander II. excitato Casinensi Monasterio iterum Canonicis Basilicæ curam concredidit, et sic perdurarunt usque ad Bonifacii VIII. tempora, qui anno 1300, ejectis Canonicis Regularibus, sæculares Clericos ibi constituit, Præbendasque ex monasterii bonis assignavit. Cumque splendorem accrescere vellet dignitatis Archipresbyteri Lateranensis, statuit ut hoc munus deinde a Cardinali exerceatur.

(1) Multa de Cardinalibus suburbicariis, eorumque auctoritate, atque obligationibus adjicienda forent; sed ne actum agam, satis erit egregiam, quam

Quamvis enim etiam ante Bonifacium aliquis fuit Archipresbyter Cardinalis Ecclesiæ Lateranensis, ut ex Epistolis S. Petri Damiani probari potest, cum ipse epistolam mittat ad Petrum S. R. E. Cardinalem Lateranensis Canonice Archipresbyterum, tamen Cardinalis Rasponi de *Basil. Patriarch. Lateranen. lib. 1. c. 2.* existimat, quod aliquando Cardinalis Archipresbyterali munere fungebatur, ut relaxatos Regulares Canonicos ad meliorem frugem compelleret. Hujus autem dignitatis augmentum, nomen, munusque a Bonifacii institutione repetenda optatur. Postea autem semper a Cardinali aliquo privilegia Cardinali Archipresbytero data sunt ex plurium Pontificum concessionibus, inter quas præclara est *Constitutio Pauli Papæ III. Cum sicut accepimus*, qua Archipresbytero Cardinali concessit omnimodam jurisdictionem in cognitione causarum Capituli et Canonicorum, sed Innocentius XII. anno 1694. fere omnia ista privilegia revocavit, et ad formam juris Communis reduxit. Tamen cum Archipresbyter Cardinalis Basilicæ S. Petri succedit jurisdictioni Cardinalis Episcopi Sylvæ Candidæ, multis adhuc gaudet privilegiis in laudata causarum cognitione. Vide *Piazza Cardinalit. Hierar. pag. 329. et seq.*

(45. Ab Eugenii IV. tempore invaluit consuetudo, uti habet Ughellius *tom. 1. Ital. Sac. in Episc. Sabinen.* ut Cardinales Presbyteri, qui priores venissent ad Purpuram sibi illud munus Episcopatus (suburbani) deligerent, quod ex alicujus decessu contigisset vacare. Quod vero consuetudo invexerat, Sixtus V. sua constitutione *Postquam vetus etc.* firmavit decernens, quod: « cum aliqua ex sex Cardinalibus Ecclesiis, quibus Episcopi Cardinales præsumunt per Obitum, vel Translationem, aut alias pro tempore vacare contigerit; antiquior quidem Card. Presbyter præsens, salvo cuique Episcopo Cardinali jure transeundi, ad eam dimissa priore, cui præerat, ut moris est, promoveatur. » Nequeunt tamen hosce Episcopatus optare Diaconi Cardinales, nec Cardinales Presbyteri absentes a Curia quacumque ex causa; nam Optio expleri debet in Consistorio, ipsis præsentibus, consentiente Romano Pontifice, uti ex constitutione *Unde etc.* Sixti V. Pius V. tamen decrevit: « quod Cardinales præsentibus in Urbe, et domi infirmitate detenti possint optare, ac si essent in Consistorio, derogans Decreto si quod obstaret quoad hoc. » Demum Clemens XII concessit, quod Cardinales absentes a Curia ex causa publica et ex destinatione Romani Pontificis optare possint, ac si essent præsentibus; atque etiam voluit, quod: « Si quando evenerit Cardinales Patriarchali, Primatiali, Archiepiscopali, vel Cathedrali Ecclesiæ Præfectos in dicta Curia ex legitima causa, aut Sedis Apostolicæ licentia præsentibus tum reperiri, cum factus fuerit locus vacationi alicujus ex sex Ecclesiis Suburbicariis hujusmodi, Ro-

supra memoratam P. Andreucci de *Episcopis Cardinalibus Suburbicariis* dissertationem indicare. (EDIT. BARBIELL.)

mani Pontificis pro tempore existentis partes erunt, animum sedulo advertere, et deliberare, dum absolventur a vinculo, quo priori Ecclesiae tenentur, ad effectum optandi et assequendi Ecclesiam vacantem ex dictis Suburbicariis, utrum expediat eis concedere administrationis, seu alio nomine, retentionem alterius Ecclesiae, cui antea praeerant, ac in primis, utrum ambae sint adeo propinquae, ut Pastoralem curam utriusque commode impendere, suumque ministerium recte implere valeant. Tandem idem Pontifex decrevit, ut Cardinales, unam ex Suburbicariis Ecclesiis obtinuerint, deinceps ad aliam, priore demissa, et Romano Pontifice approbante, semel tantum transire possint; salva tamen et illa facultate optandi praevia dimissione prioris, Ecclesiam Hostiensem.

ARTICULUS IV.

Quoad Cardinalium privilegia.

(1. Cardinales primo gaudent privilegio Episcopis concesso in cap. *Quia periculosum* 4. de sentent. excomm. in 6. ut generali Statuto, vel Sententia Interdicti, aut Suspensionis non includantur, nisi eorum specialis, et expressa mentio fiat. Alban. de Cardin. qu. 42. priv. 31. Azorius part. 3. lib. 4. cap. 3. qu. 20. vers. 12. Henriquez in Summa lib. 13. cap. 34. § 2. lit. X. Bellet. disquisit. Cler. part. 1. tit. de Disciplin. Cleric. § 2. n. 48. Barbosa lib. 1. Juris Eccles. cap. 4. n. 69. Hurtado de Censuris tract. de Suspens. diff. 9. n. 23. Diana p. 5. tr. 2. resol. 46. (2. Secundo, Cardinales gaudent privilegio eligendi sibi Confessarium, etiam non approbatum ab Ordinario, ut colligitur ex cap. *Ne pro dilatione* 16. de poenitentis, et remissionibus, ibi: *Ne pro dilatione poenitentiae periculum imminet animarum, permittimus Episcopis, et aliis Superioribus, nec non minoribus Praelatis exemptis, ut etiam praeter sui Superioris licentiam providum, et discretum sibi possint eligere Confessorem.* Nam vides, quod haec facultas conceditur Episcopis, et aliis Superioribus, Cardinales autem, ut patet ex dictis articulo secundo, sunt Superiores Episcopis Dignitate, et Jurisdictione. Tum quia esto id cla-

(1) Dubium est, ut vel ex ipso auctore liquet, an Cardinales, qui Episcopi non sint, possint sibi confessorium eligere ab ordinario non approbatum, et multo magis, num hujusmodi confessorium ad excipiendas familiarium confessiones deputare possint. Quam ob rem cum de valore Sacramenti agatur, quod sine debita jurisdictione nullum esset, nisi aliunde ex expressa Pontificis concessionem constet, hoc privilegium habere Cardinales, ex allatis rationibus concludi non potest, ut auctor contendit, posse revera ita sibi eligere, vel familiaribus deputare confessorium. (Nota Romani Theologi.)

Animadversiones auctoris.

In verb. *Cardinalibus*, art. 5, num. 50, valde restringunt additor, et theologus jurisdictionem Cardinalium in suis titulis, et art. 4, post n. 4, denegat theologus ipsis Cardinalibus facultatem eligendi confessorium non approbatum ab ordinario, et deputandi pro recipiendis confessionibus suorum fami-

re, et expresse non colligatur ex dicto textu, consuetudine tamen ita obtentum est. Reginaldus in praxi Poenit. tom. 1. lib. 1. cap. 5. sect. 1. n. 32. Toletus in Summa lib. 6. cap. 13. n. 5. Lugo de Sacram. Poenit. disp. 19. sect. 1. num. 5. Henriquez in Summa lib. 6. c. 13. § 5. Paul. Comit. respons. moral. lib. 1. qu. 101. num. 4. Lezana verb. *Cardinalis* num. 7. Barbosa in d. cap. *Ne pro dilatione* num. 4. Fagnan. ibidem num. 40. et sequent. Card. Petra tom. 1. in Comment. unic. Joan. XV. n. 49. Azorius institut. moral. p. 2. lib. 4. cap. 3. qu. 16. Qui tamen ibid. vers. *Quaerens an Cardinales*, subdit Sacram Congregationem censuisse non posse Episcopum jam eligere Sacerdotem non subditum, qui a proprio Episcopo non sit approbatus, quasi innuens, nunc post Concilium Tridentinum non posse Cardinales, qui nec sunt Episcopi, nec Legati, confiteri alicui, qui non sit ab Ordinario approbatus, quod etiam sentit Scipio de Rubeis in Aphorism. Episcop. verb. *Cardinalis* num. 5. et Fagn. in d. cap. *Ne pro dilatione* num. 53. et 62. cum sequent. Sed illos reprobant Nald. in Summa verb. *Cardin.* n. 8. Ludovic. a Cruce in Bulla Cruciatæ disp. 1. c. 2. dub. 22. n. 11. cum sequent. Turrian. de Poenitent. disput. 23. dub. 3. Boss. de Jubilæo sect. 4. casu 2. § 4. n. 11. citati a Diana moral. resol. par. 5. tract. 2. resol. 10. et quod Cardinales possint sibi eligere Confessarium non approbatum ab Ordinario, etiamsi non sint Cardinales Episcopi, tenent expresse Toletus, Lugo, Lezana, loco supra citato et alii. (3. Immo Cardinales omnes possunt etiam suis Familiaribus commensalibus Confessarium, etiam alias non approbatum, designare, ex eodem fundamento, et quia sunt veluti Pastores proprii suae familiae, ita ut ea non subjiciatur, quoad Sacramenta, Parochiali locorum, in qua resident Cardinales, sed solum ipsis Cardinalibus. Naldus in Summa verb. *Cardinalis* n. 8. Lugo, et Lezana cit. (4. Hinc etiam ex praxi Curiae dicti Familiares in die Paschatis accipiunt Communionem in Oratoriis suorum Cardinalium. Ludovicus a Cruce in Bulla Cruciatæ disp. 1. cap. 2. dub. 22. n. 17. Diana part. 5. tract. 2. resol. 10. Lezana loc. cit. n. 7. (1).

liarium. Ego studui, quantum potui cum assistentia juris, et auctoritate DD. magnificare, ut par est, eorum Eminentissimam dignitatem, probe sciens cum Eminent. Petra tom. I Commentar. in Constit. unic. Joannis XV, n. 46, et pluribus aliis a me allegatis, quod nulla major est dignitas in Ecclesia Dei post Vicarium Christi, cardinalatu; et Clariss. Riganti in regulas Cancellar., tom. II, pag. 257, num. 92, quod cardinalatus est summa dignitas nobilior episcopatu, et summus gradus post pontificatum; et Card. de Luca Jurisd., discurs. 116, sub n. 8, quod eorum collegium est dignior, ac primus senatus qui sit in mundo: et Sacra Rota Rom. allegata a Monacello, tom. IV, Rom. Ed in Append. dec. 7, n. 49; et dec. 18, n. 9, 10, 52, quod Cardinalis in sua Ecclesia titulari non solum habet jurisdictionem quasi episcopalem, sed transcendit etiam veram episcopalem; et dignitas cardinalitia in Ecclesia titulari nihil diminuitur, ex quo in pluribus non conveniat cum Episcopo; ibid. dict. dec. 18, num. 22 et 25. Unde

(5. Tertio, Cardinales de Jure communi gaudent privilegio Altaris portatilis, seu viatici, de quo in cap. final. de privileg. in 6. uti ibi ipsos comprehendendi declaravit Sacra Congreg. Conc. teste Fagnan. in cap. *Ne pro dilatione* 16. de poenit. et remission. num. 46. (6. Hodie tamen Cardinales alique privilegiati omnes attendere debent quoad hoc novissimum Decretum Clementis XI. de Celebratione in Oratoriis privatis, quod ad Litteram refertur sub verb. *Oratorium* n. 5. Vide ibi n. 5. et 70. ubi affertur posterior declaratio observanda. (7. Quarto, Cardinales gaudent privilegio, quod lites, quas habent inter se, a Papa sint judicandae, et decidendae. Paulus IV. *Constitut.* incip. *Cum sapius*. (8. Quinto, Cardinales in delicto debent ex Jure antiquo convinci, antequam condemnentur, per testes 72. si sint Episcopi; per 64. si sint Presbyteri; et per 27. si sint Diaconi; cap. *Præsul*. 2. q. 5. caus. 2. ibi: *Præsul non damnatur nisi cum 72 testibus; Presbyter vero Cardinalis nisi cum 64 testibus non deponatur; Diaconus autem Cardinalis Urbis Romanæ nisi cum 27 testibus non condemnabitur.* At vide verb. *Testis* art. 4. n. 6. (9. Sexto, Cardinales exempti sunt a Gabellis, Datis, Tributis, et aliis oneribus Cameralibus, et non comprehenduntur in Bulla revocatoria Innocentii X. Sic idem *Constitut.* 7. incip. *Et si ea*. (10. Septimo, Cardinalium Clerici omnes Domestici, commensales se possunt illis in recitatione Officii conformare; cap. final. *Clement. de celebr. Missar.* (11. Octavo, Cardinales eo ipso, quod ad Cardinalatus fastigium sunt assumpti, remanent soluti a Patria potestate. Manfred. de Cardinal. c. 8. privileg. 8. Azorius part. 2. lib. 4. cap. 3. qu. 20. vers. 11. Zechius de Republ. Christian. tit. 3. de Card. num. 9. privileg. 8. Geron. de Indultis Card. § *Quod tu Romanam* n. 3. Diana part. 5. tract. 2. resol. 32. Molina de justitia tract. 2. disp. 229. num. 8. Barbosa loc. cit. n. 70. et alii passim. (12. Nono, Cardinales orto schismate, et duobus de Papatu contententibus, Concilium congregare possunt. Manfred. de Cardinal. cap. 31. Sebast. Cæsar. in relect. de Ecclesiast. Hierarch. disp. 1. § 5. Barbosa loc. cit. num. 76. et alii passim cum Fagnano in cap. *Cum olim* 14. de Majorit. et Obedient. num. 50. (13. Decimo, a sententia ex voto Cardinalium, seu consensu lata minime ap-

Card. Petra loc. cit. num. 47 ad 49, sic expresse tradit: Imo si fiat mentio in aliquo canone de privilegio Episcopis concesso, eorumque superioribus, concessum intelligi debet etiam Cardinalibus, puta in cap. final. de Privilegiis, lib. vi et cap. *Ne pro dilatione*, 16 de Poenit. et remission. in quorum primo permittitur usus altaris portatilis Episcopis, et eorum superioribus, et tamen intelligitur permissus etiam Cardinalibus, ex declaratione Sac. Congregat. Concil. ut cit. Fagnan. in cap. *Ne pro dilatione*, num. 46. de Poenit. et remiss. In secundo vero, cum facultas data fuerit Episcopis, et superioribus eligendi confessorium, illam intelligendum esse datam: nedum Legatis, aliisque superioribus Episcopis, puta metropolitanis, et patriarchis, sed etiam Cardinalibus. ut tradit cit. Fagnan., num. 50. Videatur dictus

pellatur. Alban. de Cardinal. quæst. 24. vers. 3. Azorius dict. quæst. 20. vers. 3. Manfred. de Cardinal. decis. 30. Barbosa loc. cit. num. 62. et plures alii apud Dianam dict. part. 5. tract. 2. resol. 36. per cap. *Ecclesia habet Senatum* 7. caus. 16. quæst. 1.

(14. Undecimo, Cardinales in Beneficiis non includuntur in Regulis Cancellariae faciendis post Constitutionem 6. Urbani VIII. nisi fiant de consensu illorum, vel majoris partis Urbani VIII. *Constit.* 6. incip. *Sanctissimus* cap. 70. Barbosa loc. cit. num. 54. cum plurimis ibi citatis. (15. Duodecimo, Cardinales in commissis sibi Ecclesiis a Sede Apostolica possunt Beneficia conferre, et Jurisdictionem exercere ante captam possessionem, et ostensionem Litterarum, non obstante decisione *Extravag. Injunctæ*, de elect. inter communes; Ludov. Gom. in proæm. Reg. Cancell. qu. 4. n. 9. Gonzal. in reg. 8. Cancell. Gloss. 21. num. 7. Selv. de Benefic. par. 2. quæst. 3. num. 45. vers. octavum. Jul. Lator. variar. lucubrat. tom. 1. tit. 4. cap. 15. n. 10. Diana par. 5. tract. 2. resol. 13. et Rota in Burgen. *Canonicatus* 3. Junii 1583. cor. Cardin. Lancellot. sen. (16. Tertio decimo, Beneficia Familiarium Cardinalium non possunt conferri per Papam sine consensu Cardinalis Patroni. Aegid. Bellam. vers. 19. num. 2. vers. 5. Barbosa. loc. cit. num. 84. et alii. (17. Quartodecimo, Cardinales judicant Familiares private quoad alios etiam Cardinales, et ideo etiam Vicarius Papae non judicat tales Familiares, sed eos remittit suo Cardinali, qui ad penam habet privatam Carcerem. Sic de stylo Curiae servari testatur Clar. § fin. qu. 35. num. 17. Card. Tusch. tom. 1. concl. 100. num. 52. Carol. de Grassis de effect. Clericor. effect. 1. num. 151. Carleval. de judic. lib. 1. tit. 1. disp. 2. qu. 9. sect. 9. num. 509. Diana part. 5. tract. 2. resol. 25. et alii. (18. Quinto decimo, Cardinales gaudent privilegio habendi partem reddituum Cameræ Apostolicæ; cap. *Ubi periculum* § *provisiones*, de elect. tit. 6. (19. Sextodecimo, Cardinali asserenti aliquid actum in præsentia Papae, vel dicenti sibi vivæ vocis oraculo a Papa mandatum fuisse, credi debet; Imol. et Felin. in cap. *Quod super his*, de fid. instrument. Caputaq. par. 1. dec. 95. Barbat. de præstant. Card. part. 2. qu. 1. Card. Tusch. tom. 1. conclus. 103. num. 1. Diana dict. tract. 2. resol. 31. et alii passim. (20. Decimo septimo, Car-

celeberrimus canonista Fagnanus in cit. c. *Ne pro dilatione* per tot., et in cap. *Cum contingat*, de Etat. et qualitat., et in cap. *His, quæ de majorit. et obedient.* per tot. ubi multa, et in cap. *Ex gestis*, num. 11. de Clericis non residentib. ubi tradit, quod Cardinalis in suo titulo curam habet animarum tam fori poenitentialis, quam contentiosi. Vide Andreucc. de Card. in gen., diss. 2, n. 24.

(1) Hodie Cardinales non amplius judicant suos familiares, præsertim si delicta, et crimina committant, nec privatos habent carceres, ut auctor asserit, teste Farinaccio consil. 134, n. 6, sed in eos æconomicum tantum dominium habent, scilicet correctionis tantum; vide Cobellium citat. part. 176, Privileg. 21. (Nota Romani Theologi.)